



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XVII. Orandi studium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

perior vester cupit, cupiatis: hoc enim solum bonum. Nolite omni spiritui credere. Hæc ille idem obedientiæ præco, qui accuratissimus obseruatur. Nam omnia illi à B. Xaverio mandata (mandauit autem plurima) sic obseruauit, vt meritò contendì possit, vtrum in præcipiēdo ille magis excelluerit, quàm Gaspar in parendo.

CAPVT XVII.

Orandi studium.

FACILE ex opere aliquo affabre facto de opificis artificio, & instrumentis vtendi peritia possumus iudicare: ita sanè ex his, quæ Gasparis manus expoliuit, colligere nullo negotio possumus, quātus in oratione fuerit, quàm auctores sacri virtutum ceterarum vocāt instrumentum. Et eò sanè admirabilius est, inter tot negotia tempus orationis otio superfuisse: quanquā non supererat; sed cū deerat, necessaria etiam quiete defraudata corpusculo subtrahebatur. Sed in eo ge-

eo genere non hoc solum miror, verum multo magis hominem in res ita varias quodammodo dissipatum, orationis studio cum gustu incumbere potuisse. Experimur enim ipsi, animum nostrum non satis caute quattuor cubiculi parietibus custodiri, quin quo velit, auolet. Sed tamen, si possemus id assequi, quod ille est assecutus, facile per omnes occupationes leui pede transiremus, nec ijs nos absorberi pateremur. Nam cor illud, in quo IESVS, vt supra, omnia rapit & possidet, non sedat rebus, sed res sibi accommodat, nec turbatur erga plurima, sed vnum, quod est solum necessarium, agit, maiorem in omnibus numinis gloriam, eiusque voluntatem procurando. Res omnes vbi hanc formam acceperint, aliae plane sunt, & alios omnino in animis nostris effectus pariunt.

Hoc sine dubio Gaspar erat assecutus, cuius haec sunt propè ad singulas lineas verba: Deo laus, Deo gratias, Christus sit benedictus, IESVS

SVS laudetur. Ac quoties rem ali-
 quam magnam suo pondere nititur
 proponere, hac ferè vtitur loquen-
 di formula: Tãta erat, exempli gra-
 tia, confitentium multitudo, vt ef-
 set, vnde Deo gratulari debere-
 mus: ita tota sua occupatio erat
 hæc vna, Deo sua bona gratula-
 ri, homines ad eundem finem pro-
 mouere, qui summus est amicitiaë
 gradus. Non repeto initia illa Ar-
 muziana, tot supplicationes, illu-
 strem illam conuersionem nouem
 dierum oratione propè continua
 procuratam: sed solùm dicendum
 est omninò, quantis eum Dominus
 solatijs perfuderit; qui orationis
 fructus non vulgare est ad virtutem
 imbecillitatis nostræ adiuuentum.
 Armuziæ sanè P. Antonius Qua-
 dros, vir tantus, Indiæ diu Præposi-
 tus Prouincialis, alia multa, & hoc
 inter cetera testatur, tam vehemen-
 tibus eum exultantis animi moti-
 bus exsilijsse, vt vellet nollet sæpè
 motus istos sepositis ceteris occu-
 pationibus admittere cogeretur.

Ita

Ita Dominus cum fidei seruo suo, ille de laborū stipendio, hic de gratuitis obsequijs contendebat: sed vincebat is, qui omninò vincti non potest, & eò copiosius, quò magis Gaspar resistebat. In laboribus Monajanæ expeditionis, in expianda Antonij Neroniæ classe, quæ duorū erat millium, & in alijs magni illius Herculis laboribus ipse exultabat, Dominus pro eo desudabat.

Et quoniam in hoc sumus, bona lectoris venia digredi paululum à Gaspare ad B. Xauerium licebit. Magni fuerunt illius magni Frãncisci labores, magna pericula: ijs in periculis ipse ita diuinis solatijs redū dabat, vt cum illius mortalitas licet iam propè immortalis ferre nō posset, Domini manum sistere, & gratiarum canalē obstruere conaretur. Et quid mirum, cū eo ipso tempore clementissimus IESVS, qui infirmitates nostras & dolores nostros ipse portauit, omnium illorum periculorum acerbitatē videretur suscepisse? Admirabile est, sed tamē cer-

tum

tum, quod narrabo. Xauerium, castellum est Nauarræ quidem, sed in finibus Aragoniæ, illud ortu & cunstanti viri celebre. In eo sacellula sunt duo, alterum ferè in limine maius, alterum in penitiore domo minus. In hoc minore est Christi è cruce pendentis effigies, opere statuaria, humanæ ferè magnitudinis, sanè pia. Ea effigies, quoties B. Franciscus periculum adibat aliquod grauius, ac discrimè, suscepto quodam modo illius in se labore, liquore nescio quo ex arido ligno velut sudore diffuente madebat. Res domesticis mira visa est: inde cùm sæpius accideret, ad rei memoriã conseruãdam dies annotatur, ac deinde ex B. Francisci litteris animaduersum est, eũ ijs ip̄is diebus, quibus effigies sudarat, vel naufragiũ fecisse, vel in arbore barbarorum tela effugisse, vel simile discrimen aliquod adijisse. Eam rem ego ex domesticis fide dignis, & ipso Xauerij herede adolescente cõperi, & diligenter excussi, ac reperi continuam esse

esse

386 VITAE GASP. BARZAEI
esse in ea familia eius rei in poste-
ros traditionem, huc vsque non tã-
to temporis interuallo, vt res ob-
scura esse possit, propagatam. Sed ad
Gasparem reuertamur. Postquam i-
gitur suis litteris enumerauit eo-
rum, qui in Indicis versantur mis-
sionibus, laboris, quibus eos con-
diat delicijs Deus, sic refert: Et ne
labores vos terreant, quanquam
terrere non debent ij, quos ego ita
infirmus IESV Christi tirunculus
ferre possum; quæ dixi pauca sunt,
etiamsi cum maioribus quæ pati
cupio, comparentur: & hoc propter
diuina solatia, quæ mihi à Deo dan-
tur ad hos labores perferēdos. Quæ
sanè multum differunt ab ijs Co-
nimbricensibus. Nam labores ibi
minùs perfectos distrahunt: hîc et-
iam maximi colligunt. Cui enim te
affigas non habes, nisi Deum. Mun-
dus enim te vel contumelia vel ho-
nore persequitur; & cū te ibi mor-
tales adorent, hîc in crucem agunt;
nec tempus est, vt remedia per o-
tium è libris petantur. Ibi quidem,
quamdiu

quamdiu ex orantium oculis lacry-
 mæ fluunt, fluunt vna diuinæ con-
 solationes: sed vbi exaruerint, vnà
 quoque animus exarescit. Sed hîc
 exarescentibus maximè recreamur
 in terra deserta, inuia & inaquosa.
 Sic ille. Eiusdem propè argumenti
 erant, quas in Lusitaniam primas
 dedit, quibus sic socios alloquitur:
 Habetis fratres vestros dispersos
 in varia loca cum magnis labori-
 bus, sed benè collocatis. Sola enim
 quæ in ijs sentitur suauitas, facilè
 acerbicatem omnem detergit: quan-
 tò amplius poterit, si homo recor-
 detur illius amoris, quo factum est,
 vt vitam totam in laboribus infini-
 tis & tormentis traduxerit is, qui
 pro sua facilitate labores omnes
 nostros à tenuitate nostra (si nostrâ
 quoque vocare liceat) recipit, præ-
 mijs illis æternis compensaturus.
 Earum rerum commentatio in his
 locis ac negotijs, longè excedit illa,
 quæ isthic de ijsdem rebus institui-
 tur, licet in cubiculis vestris & fan-
 cta quiete. Hîc enim alio quodam

R

modo

modo tangit Dominus, neque totum in desiderijs transigitur. Venite, venite fratres mei; vos sanguis, quem bonus Iesus pro horum salute profudit, inclamat gemitibus inenarrabilibus, quos nescio qua ratione non sentiant, quotquot de eius gratia communicant. Qui hos Gasparis æstus experiri volet, veniat; sperandum enim est, manum Domini non esse abbreviatam, nisi nos eam vitio nostro contrahamus.

CAPVT XVIII.

Zelus animarum.

INFLAMMATAM mortalium animos à vitijs auocandi cupiditatem, animorum zelum pij scriptores appellant. Ea virtus in Gaspare vt non fuerit maximà ceterarum, maximè sanè & plurimis sese prodidit argumentis, vt ex ijs, quæ supra commemorauimus, cuius facile constat: sed addenda tamen sunt nonnulla, vt quantum animorum lucro inhiarit, clariùs appareat.